22

THESES INAVGVRALES

ANATOMICO-MEDICÆ MISCELLANEÆ

QVAS

PROPITIO NVMINE SVMMO

IVSSV ET AVCTORITATE GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

AD OBTINENDAM

DOCTORIS IN MEDICINA DIGNITATEM

JVRA ET PRIVILEGIA

NONIS SEPTEMBRIS

ANNI Æ. C. MDCCXXX.

EXHIBVIT

ET ERVDITORVM CENSVRÆ COMMISIT

AVCTOR

SIMON ADOLPHVS,

ANGLO-LONDINENSIS

GENTE JVDÆVS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

Typis JO. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.



Q. D. B. V.

PROOEMIVM.

SApienter non minus quam vere Medicorum parens HIPPOCRATES *libr. de loc. in homine* §. 4. pronunciat: *naturam corporis humani omnis ſermonis & ratiocinationis in Medicina eſſe principium.* Per naturam autem hic intellectum eſſe volumus, tam ipſam artificioſisſimam corporis noſtri fabricam, ex innummerabili organorum & canalium numero coagmentatam, varii generis humoribus recipiendis, vehendis ac transmittendis inſervientium; quam ipſam coordinationem motuum ab ineffabili artificio in machina certis legibus dependentem, quibus

machina corporis ad corruptionem admodum proclivis conſervatur & ab interitu vindicatur; quod peragi ſolet Natura, ſanguinis peridrome decenti ejusque in orbem itu redituque indeque dependente, ſe- & excretione humorum, partiumque nutritione. Artificioſa hæcce machina conſiderari debet, quatenus ſtructa, vel quatenus mixta. Conſtructa eſt ex variis partibus, figura, magnitudine diverſis, vario nexu, ſitu ac cohæſione unitis motumque exſerentibus. Mixta ex partibus diverſæ indolis & minus cohærentibus, ut aqueis, oleoſis, mucidis ac terreis ab invicem facile ſecedentibus, niſi accedat utrarumque motus, qui non tantum partes unit & utiles retinet, ſed & excrementitias interitum minantes expellit totamque fabricam in integritate conſervat. Dignoſcitur autem quam maxime natura humana ex Anatomia; ſeu artificioſa partium corporis diſſectione ac demonſtratione, qua earundem ſitus numerus, figura, magnitudo, connexio, ac uſus diſquiritur atque pateſcit. Et certe cognita ex principiis anatomicis rite fabrica noſtra, facillimum eſt, ejus functiones ac effectus intelligere, explicare ac demonſtrare in phyſiologi-

logicis, quomodo in ſtatu naturali & ſano ſeſe habeant actus vitales ac naturales, motus cordis, circulatio ſanguinis, digeſtio alimentorum in ventriculo, chylificatio, nutritio, accretio, ſe & excretio humorum, ſudoris, urinæ, fæcum alvinarum &c. ſed & ſtatu naturali percepto, facillimum erit, deſcendere ad ſtatum morboſum, ſeu præternaturalem, eundem cognoſcendum in pathologicis, pro morbo, morborum cauſis ac ſymptomatibus eruendis ac explicandis. Vt adeo pateat, naturæ humanæ cognitionem in Medicina addiſcenda eſſe fundamentum. Cum itaque contemplatio ac vera indagatio corporis noſtri fabricæ, medicæ artis addiſcendæ ſit baſis ac fundamentum; placuit mihi impræſentiarum ad altiora adſpiranti ſpeciminis inauguralis loco, Gratioſæ Facultatis medicæ juſſu aſſerti hujus veritatem, quantum temporis penuria permittit, theſibus quibusdam anatomico-medicis pro ingenii mei modulo commonſtrare. Quod dum in me ſuſcipere aggredior, Divinum Numen ſupplex oro, ut quod ſuſcepi feliciter ac proſpere ſuccedat; Benevolum vero Lectorem, ut qualescunque meos conatus æqui bonique conſulat, enixe rogo.

Theſis I.

Dens molaris tertius in utroque latere maxillæ ſuperioris nunc duplici, nunc triplici radice, è regione antri Highmori, ſeu ſinus maxillaris, exſurgit; & vel præfatum ſinum tunica tantum pituitaria ac perioſtio ſolitarie amictus, ſubit, vel illum lamellæ tenuiſſimæ oſſeæ interventu appetit.

Scholion.

Ex inſertione hujus dentis pateſcit, non temere facile a Chirurgis ejus extractionem eſſe moliendam, ne ex improviſo præter omnem ſpem & exſpectationem fiat apertio ſinus, ob continuum muci ſtillicidium nunquam poſtea conſolidationem admittens. Hæc apertura ſinus ab imperitis pro fiſtuloſo ulcere male habita, non tantum valde moleſta eſt, propter mucum in oris cavum effluentem & ciborum reliquiarum per foramen ingreſſum in denominatum antrum, ibi dein hærentium & fœtorem contrahentium; ſed & corruptionem ulceroſam ac devaſtationem ipſius oſſis maxillaris, in ſcorbuticis, ſenibus, cachecticis inſequentem facile. Etenim ex-

ternus

ternus admiſſus aër, & alimentorum, reliquiæ illapſæ mora ac ſtagnatione putreſcentes, corruptionis labem facile illi affricare poſſunt, niſi foramen turundula ex calamo aromatico vel iride Florentina probe obturetur. Licet autem hujus dentis non molienda evulſio, attamen dantur etiamnum caſus, ubi illa neceſſario peragenda eſt: nempe quando in Ozæna naſi corruptio putredinoſa proſeipit ad antrum Highmori, vel illud jam occupavit. Hinc *Cel.* JAMES DRACKE *in Anthropologia nov.* in hac ozænæ ſpecie rectiſſime jubet non tantum extrahere dentem molarem tertium, ſed & alveolum perforare ſubula, ac poſtmodum ſyringa liquorem balſamicum injicere, qui egregie tunc ad locum affectum penetrans. putredinem ac corruptionem aufert ulcusque detergit ac ad conſolidationem perducit. Liquor balſamicus huic uſui optime inſerviens parari poteſt, ex ſpiritus vini rectificati uncia, eſſentiæ myrrhæ, euphorbii ſingulorum drachma, balſami peruviani drachma ſemis, & olei caryophyllorum guttis IV.

THESIS II.

Corpus reticulare Malpighii in locis frigidis album, in calidis flavum, vel fuſcum, in calidiſſimis, ut Mauritaniæ incolis, nigerrimum obtinet colorem,

rem; colorque cutis a corpore reticulari maxima ex parte dependet, bene annotante RVYSCH Adverſ. Anatom. Dec. III. p. 26. & SANTORINO Obſ. Anatom. p. 2.

Scholion.

COlorem Malpighii reticulum referre varium & cuticulæ eundem communicare, non tantum idem RVYSCH. *l. all.* in cuticula cum appenſa vera cute demonſtrat, ſed & linguæ bovinæ vel vitulinæ inſpectio confirmat, in cujus apice ferme macula nigricans conſpici ſolet, quæ nigredo reſidet non in tunica exteriore vaginali, a cute abſcedente, ſed in ipſo corpore reticulari nidulatur. Nam detracta tunica exteriore poſt coctionem portionis linguæ ac in aceto factam macerationem, altera reticularis comparet, quæ identidem a papillari nervea liberata nigricantem colorem refert. Ex qua obſervatione haud immerito concludendum eſſe reor: plerasque maculas in cute apparentes, ſedem ſuam habere in corpore reticulari Malpighii. Id quod tanto uberius exinde conſtat: quod vix ac ne vix quidem maculæ ejusmodi ullo pharmaco deleri poſſunt: ac præterea in cute poſt applicatum phœnigma, indeque ablatam cuticulam, reticulum, ſeu ſuperficies interior epidermidis, hinc inde maculis conſpurcata a me ſæpius viſa fuit.

fuit. Referuntur autem inter ejusmodi maculas, in reticulari contextu cutis conſpicuas, ſic dictæ ſolares, nec non hepaticæ, quæ fuſcæ ſunt, & in fronte, facie, circa naſum, in manibus, præſertim in cholericis, vel cholerico-ſanguineis, inque fœminis, quam maxime menſium ſuppreſſione laborantibus, comparent & a recrementis in ſanguine bilioſis, quæ ob craſſitiem evaporare per cutis ſpiracula neſcia, ibidem depoſita, colore ſuo reticulare corpus commaculant ac defœdant. Pertinent huc etiam nævi materni, quorum ſedes, non tam in cute, quam reticulari corpore, quærenda eſt. Cum itaque recenſitæ maculæ fixam ſedem habeant in ſolida parte, hinc etiam difficulter remediis tolluntur; & nonniſi menſium fluxu reſtituto, vel appropinquante hyeme, evaneſcunt.

Thesis III.

Tunica adipoſa duplici lamina conſtat, qua capſulæ membranaceæ, inſtar favi apum diſpoſitæ coercentur, in quibus oleoſa ſanguinis portio deponitur, per arteriolas illuc delata, quarum exteriores tunicæ in extremis horum vaſorum veſicularum in

modum expanſa, cellulas conſtituunt, interioribus cum canali arterioſo continuis inque cellularum cava hiantibus. Hæ cellulæ quidem cohærent fibrillularum ope, ſed nonniſi facta quarundam ruptura, poſt præternaturalem expanſionem inter ſe communicant.

Scholion.

QVamdiu homo ſanus bene ingerit ac digerit, animoque eſt hilaris, tamdiu oleoſam ſuam ſarcinam vaſa in cellulis tunicæ adipoſæ deponunt, quæ inediæ tempore, per motum majoremque calorem colliquata, denuo a vaſis venoſis appenſis reſorbetur & in nutrimentum corporis impenditur, cellulis inanitis poſtea & concidentibus. Nonnunquam loco pinguedinis ſerum ingreditur cellulas has in cachecticis, hydropicis, & tunc affectus dicitur anaſarca, vel ſi in pedibus eſt, tumor pedum œdematoſus. Vbicunque igitur celluloſa talis membrana, ſerum in variis corporis partibus, modo internis, modo externis, hoſpitari poteſt. Vt autem ſerum cellulas has occupare poſſit, vaſa venoſa pariter ac lymphatica in cauſa ſunt, a tono & robore dejecta debito. Vnde

de ſanguine tardius per venas regrediente, ac diametro arteriolarum plus juſto diducta, a copia cruoris ſeroſior ſanguinis portio ſecedit, inque cavum cellularum depluit. Cellulæ hæ aliquando ſunt receptacula vaporum vel flatuum, & tumorem conſtituunt, quem Ephyſema Medici vocant, vulneribus pectoris aliquando ſupervenientem, qualem ſtupendum tumorem flatuoſum annotavit PALFYN. *Operat. Chir. Part. I. Cap.21.* & oriri videtur, quando aër per anguſtum vulnus cutaneum difficulter nonniſi egredi poteſt, ſed cellulas tunicæ adipoſæ ſubit illasque replet & notabilem hujus membranæ partem attollit ac elevat. Dubio procul etiam ſteatomata ſedem ſuam habent in dicta membrana adipoſa, quæ ſunt tumores cyſtici folliculoſi, materiam craſſam ſebaceam inflammabilem continentes, in ſcorbuticis perſæpe exorti, ab humore viſcido tenaci, cum adipe qui per vaſa, ob fortem prius factam compreſſionem debilitata ac tono vegeto exuta, ad cellularum cava deponitur ibidemque accumulatur ſenſim, usque in magnam molem augeatur, ac humor contentus aquoſioribus per evaporationem aufugientibus incraſſetur inque ſebi naturam mutetur. Steatomata hæc non generari in capſulis glandoſis cutaneis, vel ſic dictis glandulis ſebaceis *Morgagni*, uti contendunt MÖLLENBROECK. in Theatr. Anat. *Mangett.* HEISTER. in Comp. Anat. not. 3. aliique, arguere videtur ipſa contenta materia, quæ quoad colorem & conſiſtentiam ſebo ad omnia ſimilis: neque minus eo-

 rundem

rundem ſitus profundus ſub cute in tunica adipoſa, uti eradicatio horum tumorum per ſectionem comprobat.

Thesis IV.

In cute univerſali corporis velamento membranaceo - vaſculoſo - nerveo dantur, & in variis locis, ut in facie, in naſo, labiis, circa aures, in palpebrarum tarſis, circa frontem, umbilicum, mammarum papillas, ſub axillis, in inguine, circa pudenda, anum, conſpicuæ ſunt capſulæ veſiculares membranaceæ glandoſæ, a MORGAGN. in *Adverſ. Anat.* paſſim glandulæ ſebaceæ dictæ, quæ humorem unctuoſum oleaginoſum in arteriolis appenſis ſecretum recondunt, ad eundem per propria emiſſaria parva, pro humectatione, flexibili-

xibilitate fibrarum cutis, ne ab aëre accedente ſiccеſcant, & attritu mutuo vel ſudore acri lædantur, eliminandum.

Scholion.

GLandulæ hæ ſebaceæ magnæ ſunt conſiderationis & facem accendunt in dignoſcendis pariter ac ſanandis variis tumoribus in illis genitis, cyſticis ſeu folliculoſis dictis, ubi materia in propria quadam cyſtide ſeu capſula deliteſcit. Hi ob humoris contenti varium colorem ac conſiſtentiam diverſis inſigniuntur nominibus. Scilicet ſi materia colorem & conſiſtentiam mellis habet, Meliceris; ſi pultem, vel piſcium ova æmulatur, Atheroma; ſi denique ſebo conſiſtentia ſimilis, Steatoma audit. Ad atheromata autem merito referuntur Talpa ac Teſtudo; quorum hic figuram habet depreſſam & latam ſuperficiem, illa interiores partes aggreditur ac latius ſenſim ſerpendo, easdem erodit & abſumit, unde nominis ratio. Tumoribus hiſce etiam annumerandi ſunt Vari, in facie perſæpe & circa frontem geniti, ad piſi vel lentis magnitudinem accedentes, qui familiares ſanguineis laute viventibus. Ejusdem farinæ tumor quoque eſt Hordeolum in palpebrarum tarſis enaſcens, ex ſtagnatione humoris viſcidiuſculi oleaginoſi in glandulis Meibomianis depoſiti ſumens incunabu-

la. Omnes hæ tumorum jam recenſitorum ſpecies, excepto ſteatomate, uti dictum ſupra, & jam dudum MÖLLENBROCK. BOERHAVIUS & ex illo HEISTER perhibent, in hiſce capſulis nidulantur glandoſis, a variis ex cauſis vitiatis, ac a tono dejectis, præſertim quando illarum emiſſaria, ſeu ductus excretorii ab injuria quadam externa anguſtati ſunt & compreſſi; ſubſiſtens quippe in iis materia, paululum ab admiſſo frigore incraſſata, ac a nova a tergo per arteriolam advecta, ibi accumulata, capſulam ſenſim ſenſimque diſtendit inque tumorem (ab initio vix viſibilem) ſatis poſtea notabilem, attollit. Hi tumores cyſtici, cognita rite harum capſularum fabrica, non alia ratione auferri poſſunt, quam totali eradicatione, ita, ut cute decuſſatim inciſa, folliculus cum contento humore integer ſcalpello ſeparetur & extrahatur. Quod ſi vero ex improviſo capſulæ quædam portio remaneat, non tantum recrudeſcit tumor, ſed & ulceri antiquo foedo vixque ſanabili aperitur janua. Chirurgi itaque curæ cordique habeant, ut, ſi ægrum ex voto ſanare cupiunt, capſulam hanc penitus evellant ac auferant. Occaſione harum capſularum, haud ſilentio prætereunda fabuloſa & anilis de Comedonibus, ſeu Eſſeris, quæ circumfertur, narratio. Dicunt quippe: hos eſſe vermiculos, in cutis poris hoſpitantes, ſuccum nutricium conſumentes & ad tabem vel atrophiam diſponentes, uti illos deſcribit EYSELIUS in Diſſert. peculiari & delineant *Acta Lipſienſ.* ao. 1684. Hos etenim vermiculos inter hippocentauros reponendos eſſe jure cenſemus, cum Cel. HEISTER.

Compend.

Compend. Anat. not. 3. ac potius nihil aliud eſſe ſolet quam ſqualor viſcidus tenax, ſeu materia lenta, alba, ſebaceæ indolis, prorumpens ex fortiter compreſſis, imprimis in naſo, ſæpius denominatis capſulis. Hæc materia prominens ex emiſſario & in reſiniformem vel gummeam ſubſtantiam exſiccatur ab accedente aëre, ſimulatque paululum obſcuri magis ac bruni ferme fit coloris, quod decepit nonnullos, ut crederent, eſſe vermiculorum capita. Materia hæcce tenax ac viſcida in cauſa eſt, ut tranſpiratio præpediatur, qua ſufflaminata, reliqui humores impuri ac viſcidi redduntur, unde oppilatio viſcerum, corruptio, febris lenta ac hectica tandemque extenuatio totius corporis excipiunt. Ad materiam hancce viſcidam auferendam poroſque cutaneos reſerandos & tranſpirationem, adeoque depurationem humorum reſtituendam, eadem curandi methodus, quæ putatitiis crinonibus enecandis oppoſita quadrat, quæ conſiſtit in balneorum ex lacte dulci & melle uſu, ac ſqualoris viſcidi reſoluti ac turgeſcentis cruſta panis vel cultro ablatione & abſterſione.

Thesis V.

Vaſcula cutis excretoria ita cohærent cum venulis pariter ac lymphaticis, ut tranſpirabilis humor halituoſo ſubti-

ſubtilis, ſalino ſulphureæ, acris ac impuræ indolis, æque facile a motu tonico, frigore, vel terrore inverſo, ac poris conſtrictis, relabi ac recedere rurſus poſſit ad ſanguinem, e quo emanavit, quam per ſpiracula cutanea foras ire.

Scholion.

HAnc cohærentiam & communicationem vaſculorum, arguere videntur retropulſa a Topicis, vel a frigore ac terrore retrocedentia exanthemata varia, ut ſcabies, purpura, variolæ, morbilli, ſcabies, tinea capitis aliæque puſtulæ & efflorеſcentiæ cutaneæ, quæ non tantum gravia & truculenta ſymptomata, ſed & ipſam mortem accerſunt. Talis materia exanthematum ſulphurea, ſalina, acris, plus vel minus cauſtica ac putredinoſa, per criticum motum ad arteriolas cutaneas propulſa, inque illiorum extremis ſecreta, inductus excretorios migrat, quos erodit, inflammat, opplet, in puſtulas attollit, & pro differentia materiæ, ſub vario ſchemate cutim defœdat. Quando autem nunc pori cutanei fibræque ac vaſcula, frigore accedente, vel a terrore ſubitaneo, conſtringuntur in extremis, motuſque intenditur tonicus, reniſus longe validior eſt, quam impulſus, eaque propter materia exan-

exanthematica facile *inverſo* ſic motu regurgitat unde venerat, ac ubi vaſcula arterioſa ingredi nequit, lateralia petit, venulas pariter ac lymphatica, & maſſæ humorum ſic reaffuſa, ad interiora varia loca nobiliora fertur ipſasque partes nervoſas, in quibus vehementes motus ſpaſticos convulſivos febriles, totam œconomiam animalem pervertentes ac deſtruentes, excitat. Quod argumentum fuſe ac ſolide, pro more ſuo excuſſit *illuſtr.* HOFFMANNUS Præceptor Promotorque omni honoris cultu ad cineres usque colendus in *Med. Syſtemat. Tom. III. Sect. I. cap. VI.*

Thesis VI.

Ventriculi tunica muſcularis, a cujus fabrica motus ejus periſtalticus, vis & actio 12951. libr. æqualis ſecundum PITTKARN. Diſſert. V. in reſolutione, extractione alimentorum proindeque elaboratione chyli, dependet, non ubique eſt unius ejusdemque craſſitiei, ſed in fundo & circa pylorum craſſiſſima, in ſiniſtro vero latere, prope lienem, ubi vaſa

brevia excurrunt, tenuisſima: hinc vis, potentia ac robur non ubique æquale.

Scholion.

CVr autem ventriculus in parte dextra ac fundo majori vi ac elatere ob craſſitiem tunicæ muſcularis præditus ſit, ex ſitu ipſius ventriculi & ingeſtorum mole ac pondere facile concludendum. Compertum enim eſt, orificium dextrum, obſervante PITTKARN. *l. c.* flaccidum eſſe & deorſum paululum propendere, fundum quoque ventriculi circa dextrum latus magis, quam circa ſiniſtrum, inferiorem occupare locum, ad quem ingeſta per orificium ſuperius, ſeu Cardian delapſa, propria vi ac pondere inclinant, adeo ut major quantitas aſſumtorum eo vergat, & quidem eo magis, quo validiora & ponderoſiora illa ſunt. Vnde utique in hac ventriculi regione longe major vis requiritur ad triturandum ac reſolvendum extrahendumque pro conſtituendo & efformando chylo cibum. Viciſſim cum in ſiniſtra parte, dextra altiore, craſſiores alimentorum partes non maneant, ſed fundum, ceu partem decliviorem petant, ac tantum fluidiores & potulenta, quæ craſſioribus ſupernatant, ibi fluctuent, non tanta opus eſt mutatione, ſolutione atque adeo neque vi ac actione in illa; ſiquidem fluida, exiguam ſuſtinere debent mutationem, ac facile in ſuccum convertuntur

tur alibilem. Hæc tenuitas membranarum in latere ſiniſtro porro in cauſa nonnunquam eſt, ut diſtenta a cruore vaſa brevia, in plethoricis, menſium obſtructione, vel hæmorrhoidum ſuppreſſione laborantibus, ubi vena portæ ejusque propagines infarctæ, rumpantur & aperiantur, ac cruor in cavum ventriculi effundatur & vomitu inde rejiciatur. Evenit id magis in fœminis quam viris, quippe quæ ſpongioſioris ſunt habitus & majorem copiam ſanguinis alunt in venis, qui ubi per uterina vaſa, aut in viris per hæmorrhoidalia non debite expellitur, regurgitat ad communicantia brevia vaſa atque perrumpit. Quod quidem in illis minori, in his majori periculo & funeſte perſæpe evenit, ob ſpaſmorum vehementiam, quibus ob fibras firmiores magisque elaſticas nobilior ſexus cumprimis obnoxius, exceſſivas cruoris profuſiones, ſyncopes lethales, aut convulſivos motus, ob id inducentibus.

Thesis VII.

Corporis vectes, oſſa, in extremitatibus eminentiis, columnarum epitheliis prædita ſimillimis, pro ædificio corporis debite ſuſtinendo, quas apophyſes vocant Anatomici, ad

mentem HAVERI *Oſteolog. Nov.* ex filamentis in oſſis extremitate arcus in modum reflexis ac filamentis alterius lateris obviam euntibus reſultantes, laxeq; cohærentes, quæ in reliquo corpore oſſis molliores, ſpongioſiores & cavernoſæ magis pro oſſium levitate, ne motibus obſint, inſerviunt.

Scholion.

CVm in fœtu & infantibus oſſa, & præſertim illorum proceſſus, molliores ac flexiliores, hinc facile accidere poteſt, ut a ſucco nutritio, paululum craſſiore, intra tubulos oſſeos ſtagnante, hi repleantur, diſtendantur ac proceſſus totus undiquaque intumeſcat. Frequens admodum hoc morbi genus in Anglia, & dicitur Lumbago, vel Rhachitis, atque de eo integrum tractatum GLISSONIVS & MAYOWIVS ediderunt. Eſt quippe rhachitis affectus oſſium & juncturarum, accidens potiſſimum infantibus, lacte viſcido, impuro, diætaque craſſa nutritis, in quibus ſuccus nutritius, ſeu lympha alibilis, nimis tenax, vappida eſt & glutinoſa, quæ delata ad tubulos teneros oſſeos, adhuc molles ac nimium flexiles,

ibidem

ibidem ſubſiſtit facile, & accedente a tergo nova, accumulatur, extremum oſſis quaquaverſum tuberis in modum diſtendit & adauget: Et hoc longe facilius fieri poteſt in oſſium extremis, non modo mollioribus, ſed & muſculis non adeo tectis, quibus alias coercetur ac firmatur ipſa intermedia oſſis ſubſtantia. Interim tamen accidit nonnunquam, ut media pars oſſis incurvetur, quia inter ambulandum extremitates extenſæ faciunt, ut corporis moles incumbat gravius, quam ut ferre posſit os ipſum, adeoque incurvetur & figuram ejusmodi curvam poſtea obtineat retineatque.

THESIS VIII.

Renes contextu vaſculoſo ac tubuloſo gaudent, ille corticem renum conſtituit & laticis urinoſi colatorium eſt, hic vero interiora renum occupat & ex tubulis BELLINI collectis caruncuIas papillares efformantibus coagmentatur, qui excretionis organum. Uterque pro majori vel minori vaſculorum ac tubu-

lorum diametro, ſe- & excretionis negotium in renibus mutat & alterat.

Scholion.

Hinc vaſcula plus juſto, anguſtata, vel ſpaſtice conſtricta, in febrium plerumque paroxyſmis & gravi dolore, nec non ſpaſmis in hypochondriacis & hyſtericis, urinam tenuem aqueam in minori quantitate ſeparant, vel nimium dilatata tonoque debili prædita, a copioſiore ſanguinis appulſu, in larga quantitate lotium ſegregant, quod fit ceſſante febrili acceſſu ac dolore remittente, ſive inſultu. Idem fit in Diabete, rariſſimo ſane affectu, ſenibus magis, quam juvenibus ſolemni; inque calidis potius, quam frigidis occidentalibus regionibus frequenti, uti annotavit R. MOYSES *in Aphoriſ. p. 189.* quando dicit, *Neque ego vidi in his occidentalibus partibus, neque præceptorum ullum vidiſſe audivi. In Ægypto autem decem annis, quos ibi egimus, plus viginti vidi, quod argumento eſt, eum morbum in calidis regionibus ſæpius fieri, niſi forte Ægypto frequentioriis eſt, ob aquas Nili inſalubriores, quibus vulgo utuntur ipſi.* Hicce affectus vaſculorum nimiam reſolutionem ac debilitatem indeque factum humorum decubitum, agnoſcit cauſam, unde lotium cum potulentis ingeſtis haud ſervat proportionem, ſed in majori copia emittitur; & quidem cum funeſto utplurimum eventu, ſi non mox cedit; Etenim detracto ſanguini vitali ſufficienti humido, ille

lenteſcit inque variis viſceribus ſtagnat, ſtaſin concipit, in ſphacelum facile abeuntem. Quemadmodum nimia vaſorum renalium laxitas & atonia urinam in larga quantitate ſeparat; ita eorundem nimia anguſtia & ſpaſmus, ad lotii parciorem proventum multum facit; imo ſpaſmus in cauſa eſt, ut materia tartarea, ſalina ſabuloſa, in renum ductibus excretoriis deponi poſſit, ad calculum renalem conſtituendum. Et quia calculus eſt affectus utplurimum hæreditarius, jure meritoque illius cauſa in p. n. vaſorum renalium a nativitate conſtitutione, hoc eſt in nimia teneritudine & anguſtia eorundem, quærenda. Sabuloſa materia eſt rudimentum calculi, cui moleculæ tartareæ glutinoſo humore ac viſcidiuſculo apponuntur lamellatim ac compinguntur, ita ut ſoliditatem calculus prius friabilis acquirat. Præſertim iſtiusmodi lapilli in circumferentia caruncularum, ubi loculi adſunt, hærere, ab urina calcarea ac tartarea præterlabente incrementum capere, poſtmodum devoluti ad veſicam ibidemque hærentes, calculum veſicæ efformare, novaque ſumere incrementa poſſunt.

Thesis IX.

In melancholia hypochondriaca laborantibus, hyſtericis, hypochondriacis, tenerrimæ & ſenſibilisſimæ naturæ

turæ ſubjectis, ubi vehementes & frequentes ſpaſmi in abdomine vigent, quando ex gravi congeſtione ac translatione humorum ad pectus & caput, ſequuntur, anxietates præcordiorum, dolor capitis, phantaſia, delirium, & inſomnia turbulenta, caute cum venæſectione mercandum.

Scholion.

Hujus theſeos praxi confirmata veritas tanquam fundamento innititur proportioni ſolidorum ad fluida, & fluidorum viciſſim ad ſolida, ſeu ſolidorum æque ac fluidorum æquilibrio; quo ſublato, motus fiunt in œconomia animali turbulenti, immoderati, impediti; quo autem naturaliter inque decenti proportione conſtituto, omnes functiones, tam animales, quam vitales, rite procedunt, totaque machina animalis in integritate conſervatur. Imprimis hæc proportio utrarumque partium ſervanda, quantum fieri poteſt, ſi alterutra pars in motu excedat, ſpeciatim quando ſolidorum elater tonusque valde auctus, uti in ſpaſmis fieri aſſolet, ubi humores celeriter ac inæqualiter in orbem moventur, & quidem tanto magis, quanto major ſpaſmorum accedit ferocia, ubi

ubi tonus valde intenſus, fibræ & vaſa ſtricta tenſaque. Spaſmis hiſce gravioribus avertendis nihil magis velificatur, quam ſanguinis & reliquorum humorum quantitas debita ac ſufficiens, quæ ad in vaſis corporis aucta diaſtole eorumque contractioni nimiæ obſiſtit. Atque adeo non facile in ſupra memoratis caſibus, per ſectionem venæ ſanguis educendus præpoſtere. Nam ſimulac facta fuit imminutio, omnia ruunt in pejus, ſolidorum motus intenditur, humores longe abundantius celerique curſu rapiuntur ad caput pectusque, ubi collecti, anxietatem exacerbant, quin ſtaſin facile concipiunt lethalem in ſphacelum brevi abeuntem. Interim ſi quando ex ejusmodi detractione ſanguinis atrocia ſpaſmorum ingraveſcit, ſanguinem iterato largiori paululum in quantitate mittere competit, quo facto, corporis viribus parumper fractis, ſpaſticæ ſtricturæ remittunt omniaque truculenta ſymptomata componuntur.

THESIS X.

Membrorum paralyſis linimenta ſpirituoſa, contractura autem unctuoſa magis expoſcit.

Scholion.

CVm paralyticus affectus conſiſtat in nervorum ac ligamentorum nimia laxitate, reſolutione ac flacciditate, eo allaborandum eſt, ut tonus ac robur deperditum reſtituatur. Id autem optime fieri poteſt linimentis ſpirituoſis, ex ſpiritu ſalis ammoniaci, matricali Blanckardi, aqua Reginæ Hungariæ, liquore C. C. ſuccinato, oleo ſuccini, lavendulæ &c. quæ partes laxas firmant fibrasque adducunt, roborant earumque motum reſtituunt. Contractura autem, quæ eſt ligamentorum, nervorum, tendinum ac muſculorum in membris abbreviatio, corrugatio ac rigiditas, indicat emollitionem, relaxationem & elongationem præfatarum partium: & hoc egregie præſtant unctuoſa ut Unguentum dialtheæ, nervinum, oleum laurinum, omnesque animantium adipes.

F I N I S.

Fingit

F*Ingit ſe Medicum quisquis Idiota, Sacerdos,*
Judæus, Monachus, Hiſtrio, Raſor, Anus.
Hæc cantare ſolet proverbia vera Poëſis,
Nec fallunt, etenim quilibet aſtra petit.
Aſt aliter cenſent Doctores arte periti,
Quod titulum Medici dignus honore ferat.
Hinc, quæ jam pridem meruiſti præmia grata,
Hæc hac luce Tibi *Fridriciana* refert.
Hoc Tu (quod mirum) Doctoris nobile nomen,
Judæus geſtas, rara ſodalis avis.
Nam ſunt, qui medicis ſic artibus addere calcar,
Ex Judæorum ſtirpe docere ſtudent.
Rhaſis, Serapion, Maymon, Grapheus & *Iſaac,*
Deimiram, Sethi, quosque *Zacutus* alit.
Joſeph del Medico, poſt *a Caſtro Rodericus,*
Nomina ſunt quorum concelebrata ſatis.
Nunc auges numerum *Simon* Judæe tuorum,
Et magni Hermetis dogmata docta tenes.
Laudo tuos merito conatus, laudo labores,
Gratulor ad iſthæc præmia magna Tibi.

D. HENR. BASS, P. P.

Multi pervolvunt libros noctesque diesque,
Hoſtes Muſarum, delicias fugiunt,
Affixi ſcamnis pendent narrantis ab ore,
Et captant avidi dicta Viri celebris.
Ædibus his doctis magno fervore reverſi,
Tunc revocant ſueto, ſtudia ſueta, modo,
Atque cogunt ſpiritus per corpus mentis ad alta,
Ut percepta queant figere memoriæ.
Ideolis iſtis cum ſufficienter abundent,
Neve caput miſerum plura queat capere.
Tuncce lares patrios polyhiſtor vult putativus
Et mens præſagit proſpera quæque ſibi.
Hæc bene. Sed quid! nunc eſt ſucceſſus inanis,
Nam Legulejos fora vocant alios:
Empiricos alios ridet ſanior Medicina:
Vulgus eos ſtultos, recte notatque malos.
Non eſt hic doctus, didicit qui multa, viditque;
Nec Juris Doctor, Jura licet recitet;
Nec Medicus præſtans, etiamſi pharmaca quævis,
Et morbi ſpecies annumeret digitis.

Peſſi-

Peſſimus eſt potius, populisque nocebit uterque.
Auffert alter enim frivole multa bona:
Alter cum ſpiritu morbos ex corpore pellit.
Sed quis nunc doctus, quæſo dicendus erit?
Is puto, qui rerum didicit cognoſcere cauſas,
Et Legum cumulos cum ratione novit.
Quodque prius, Fautor, cum pertractaveris ipſe:
Nunc merito, læta mente, brabæa capis.
Hinc gratulor, merito veniat quod meſſis honorum:
Ut largos habeas fructus ubique, precor.

Scripſit hæc in honorem Nobiliſſimi Domini Candidati, Amici ſui ſuaviſſimi

C. A. MARGGRAFF,
LL. C.

JUdæos orbi magnos gens clara miniſtrat,
Ex Medicis pariter nomina celſa tenet.
Id quod confirmant conſcripta volumina docta,

Horum

Horum, quæ ſane ſunt celebranda bene.
Ad ſacra ſcandit ADOLPHVS Hygeæ nunc vice prima,
Ne ſit deterior, nitere, fama TVA.
Vive, valeque diu, quo non felicius alter
Pœonia medicas admovet arte manus.

Hæcce pauca apponit
A. T. HERRSTELL.
Med. Cult.

DVm jamjam perfelix quilibet arva relinquit
Ruſticus, & frugum colligit omne genus,
Nunc etiam ſtudii manifeſte demetis arva,
Docta, laboris & hinc præmia larga capis.
Gratulor hanc lætam meſſem Tibi, fructibus atque
Ut medicus felix uſque fruare, precor.

Quæ paucula in Domini Candidati honorem adjicere voluit
S. SIMON CHARLEVILLE,
Med. St.